

plantis, sed etiam in reliquis viventibus. Unde sicut D. Thomas non omnino rejecit sententiam Augustini circa istos dies productionis, ita nec circa virtualem, seu causalem productionem plantarum.

XXIV. Sed tamen satis significavit D. Thomas se sentire cum aliis sacris expositoribus tum propter convenientiam quam adducit, tum propter textum ipsum Genesis in argumento: sed contra, tum quia solvit motiva Augustini. Et quidem textus Genesis in quo maxime facit vim D. Thomas est quia dicit Scriptura: *Protulit terra herbam virentem, et statim subditur: Factum est vespere, et mane dies tertius.* Et vis hujus textus stat in hoc, quia non solum die tertia dixit Deus: *Germinet terra, etc.* quod poterat accipi quasi in futurum, quasi tunc accepisset virtutem, ut postea in actu germinaret; sed etiam debet verificari, quod antequam concluderetur dies tertia jam de præterito terra protulit herbam virentem, ergo actu fuit nata herba in illa die, nec enim verificari potest quod protulit si de facto nondum protulerat in illa die, neque protulit; dicere autem quod protulit in virtute, et in potentia, est inintelligibile; tum quia hoc non est simpliciter proferre, sed secundum quid, et potius non proferre; tum quia ly protulit, est executio illius imperii germinet, illud autem imperium non jussit, ut posset germinare, sed ut germinaret in actu pro aliquo tempore, ergo ly protulit, non est quod potuit proferre, sed quod executive protulit. Id autem quod protulit non dicitur quod fuit semen aliquod aut virtus ad propagandum, sed quod fuit herba virens, et lignum, etc. ergo hæc plantæ fuerunt in actu. Convenientia etiam D. Thomæ solida est, quia hac tertia die facta est distinctio in terra, sicut secunda die in aere, et aqua. Terra

autem duplicem informitatem, seu confusionem habebat, una quia erat invisibilis, utpote cooperta aquis, altera quia erat vacua, utpote non vestita plantis, nec quidquam habens in se. Ergo indigebat duplici distinctione, altera excludente invisibilitatem, et occultationem, et ad hoc remota est aqua, et congregata in locum unum; altera tollente vacuitatem, et hæc non poterat fieri per hoc solum, quod in potentia, et virtute repletur plantis, quia repletio in potentia est vacuitas, sicut vas repletum in potentia, non habet liquorem, et arca repleta in potentia, non habet pecunias.

XXV. Denique, respondet ipse D. Thomas ad motiva sententiæ Augustini. Ad primum explicat illud verbum capitis II Genesis, quod cum dicitur: *In die qua creavit Deus omne virgultum agri antequam oriretur, et omnem herbam terræ priusquam germinaret,* non intelligitur antequam actu oriretur, vel actu germinaret, sed antequam oriretur, vel germinaret modo illo consueto, quo nunc a sole, et terra, vel ex semine plantarum oriuntur plantæ, et herbæ per viam seminationis, antequam, inquam, sic orientur, et germinarent, Deus fecit se solo herbam, et omne virgultum agri ex terra. Et ad aliam rationem dicitur, quod in hac tertia die herba, et plantæ non germinaverant e terra per modum propagationis, et multiplicationis diversorum individuorum, sed per modum primæ productionis ipsarum specierum, produxit enim Deus de terra omnem speciem herbarum, et plantarum, sicut quinto, et sexto die omnem speciem volatilium, et piscium, et animalium; postea vero a septimo die, et deinceps propagatio individuorum facta est, quæ pertinet magis ad conservationem quam ad primam productionem specierum in primis individuis,

XXVI. Dices: Herbæ, et plantæ magis pertinent ad ornatum terræ, quam ad distinctionem, sunt enim viventia quædam illi superaddita, sicut pisces maris et volucres aeris, ergo convenientius fierent in die sexta, quæ pertinet ad ornatum terræ quam in tertia, quæ adhuc pertinet ad opus distinctionis. Respondet D. Thomas hac quæstione, art. II ad I, quod plantæ, et herbæ non tam pertinent ad ornatum terræ, quam ad distinctionem, quia non sunt viventia se moventia sicut animalia, sed quæ ipsi terræ adhærent et intus radicanantur, sicut capilli in homine. Unde se habent quasi partes ejus, eamque formant, et componunt, distinguuntque a se ipsa ut incomposita et vacua qualis antea erat, et sic pertinet hoc ad opus distinctionis.

XXVII. Ex quo colligitur, quod etiam mineralia, et fossilia, seu lapidicinæ hac die creata sunt a Deo, eo quod etiam ista non magis pertinent ad ornatum terræ, quam herbæ, et plantæ, si quidem illi adhærent, et intra radicanantur, quam rationem tetigit D. Thomas hic articulo II ad III. Nec alio die convenientius potest aptari eorum creatio, quam illo, nam in sexto die quo terra ornata est, solum animalibus in ea se moventibus ornata est; unde non dicitur convenienter tunc ornatam esse metallis, quæ intra terram quasi partes ejus sunt reposita. Et ideo Moyses horum mineralium expresse non meminit, quia occulta est eorum generatio, nec manifestam habet distinctionem. Nec tamen primo die creata sunt cum terra, quia terra erat inanis, et vacua, ergo sine istis mixtis. Nec etiam post diem septimum facta sunt ex virtute solis, et terræ fomento, quia revera naturales specierum sunt, et ideo inter productiones aliarum specierum locum debent habere. Post diem autem sep-

timum non sunt creatæ novæ species naturales rerum, sed multiplicata sunt nova individua istarum specierum, aut si quæ species de novo eruperunt, fuerunt vel arte hominum procuratæ, vel ex degeneratione agentium, aut sterilitate terræ exortæ.

XXVIII. Sed rursus inquires, quæ plantæ, et herbæ hac tertia die productæ sunt, et in qua quantitate, et qualitate? Respondetur omnes species naturales productas esse hac die etiam venenosas, et nocivas homini, etiam spinas, et tribulos, et aliæ infimæ notæ hac die germinarunt. Itaque sicut quinta, et sexta die omnes species naturales animalium productæ sunt, ita et in tertia omnes herbæ, et plantæ. Quod enim aliquæ sint nocivæ homini, sicut et aliqua animalia, nihil refert, quia in se tales herbæ sunt perfectæ, et aliis animalibus proficuæ; sicut e converso multa quæ sunt hominibus salutaria, sunt aliis animalibus nociva, nec tamen propterea deberent non fieri. Et spinæ sunt con-naturales aliquibus plantis tamquam partes propriæ et integrantes earum, quæ non advenerunt eis per peccatum. Et spinæ, ac tribuli sunt naturales species multis usibus proficuæ, non tamen homini essent onerosæ, aut nocivæ, si non peccaret. Et sic non dicitur quod terra post peccatum absolute germinabit illas, sed germinabit tibi, ut notat S. Thomas hic articulo II ad II. Nomine autem naturalium specierum intelligimus eas, quæ simplici vi, et virtute naturali possunt oriri, non arte componi, vel ex accidenti conjungi, non sterilitate, degeneratione, aut infecunditate consequi. Multæ enim species sunt, quæ arte adhibente, et conjungente diversa semina, inferuntur, nascuntur, sicut et animalia diversæ speciei, si commisceantur sive arte hominum, sive acci-

denti aliquo, producunt diversas species, quas non oportuit primo die creari, quia illi sunt partus quasi monstruosi, accidentales, vel artificiales, non simpliciter a natura provenientes, ideoque directe ab auctore naturæ non oportuit fieri, sed solum in potentia et virtute seminum relinqui. Similiter quæ per degenerationem, et corruptionem in aliam speciem transeunt, ut ex tritico, lolium, siligo, vel alia similia grana, vel ex putredine terræ gignuntur virtute solis, non oportuit tunc fieri, quia nihil via corruptionis in prima institutione fiebat, sed quæ vigore, perfectioneque naturæ fieri possunt. De quantitate in qua creata sunt, dicimus per totam terram sparsim creatas esse plantas, quia Scriptura non pro ista, vel illa terra determinate, sed absolute dicit, quod protulit terra herbam, etc. sed non omnes plantas in qualibet regione, sed juxta distributionem accommodam unicuique regioni attribuendo eas, quæ illi temperamento conveniunt, et quorum semen necessarium erat, ut postea tales plantæ propagarentur.

XXIX. De qualitate autem in qua conditæ sunt plantæ, an omnes cum fructibus, et soliis productæ sint, an non, communiter tenetur cum fructibus esse productas, ut etiam D. Thomas significat quæstione sequenti, articulo II ad V. Et hoc rationaliter, tum quia textus dicit protulisse terram lignum faciens fructum et habens semen secundum speciem suam, constat autem quod semen plurimarum plantarum in ipso fructu est, ergo si arbores, seu plantæ productæ sunt cum semine, etiam cum fructu productæ sunt, sicut animalia, et homo producta sunt in statu habili ad generandum, et consequenter cum semine: tum quia in paradiso (qui ut dicit textus capite II, plantatus fuit a principio, at-

que adeo, vel hac tertia die, vel uno ex his sex diebus) arbores cum fructu, eoque maturo, et suavi productæ sunt, de illorum quippe fructu vescabant homines, ut Scriptura dicit, ergo pari ratione etiam extra paradysum cum fructibus creatæ sunt arbores, saltem in aliquibus locis, ut haberent homines, et animalia, sustentationem opportunam.

XXX. An vero omnes arbores, et plantæ ubique terrarum cum fructibus ortæ sint, an solum in aliquibus locis, respondetur verisimile videri posse non ubique eodem modo esse productas. Cum enim in diversis partibus terræ incæperint diversæ temporum varietates, quia si in nostro hemisphærio erat ver, in opposito erat hiems, in alio autumnus, vel æstas, ita arbores iis diversis regionibus correspondentes, diversimode creatæ sunt, ita ut in aliqua parte habent fructus maturos, ubi erat autumnus, in alia flores, ubi erat ver, in alia nihil ubi erat hiems, etc. Qua ratione convincitur Suarez, lib. II, c. VII, num. XVI, citatque Pererium, et Molinam pro se. Sed ratio non cogit, quia varietas temporum quoad ista temperamenta veris, autumnus, etc. incæpit quarto die cum luminaria cæli facta sunt in tempora, et dies, et annos, ut ipse Suarez admittit capite et sequenti, et est D. Thomæ q. LXX, art. II ad III. Plantæ autem, et arbores tertia die productæ sunt, ergo non est regulanda varietas fructuum in arboribus penes istas temporum varietates. Magis autem textui Scripturæ standum est, quæ dicit producta esse ligna, seu arbores cum semine, semen autem plerumque in ipso fructu est. Et sic ubique cum fructu productæ sunt, licet verum sit quod in regione ubi erat ver, etiam cum floribus deberent produci, ut possent sequenti autumno fructus habere, et sic continuare suas

generationes, et varietates. An vero generaliter mundus in æquinoctiali verno, vel autumnus sit creatus loquendo de primo die, quando nondum erat illa temporum varietas veris, autumnus, etc. dicemus quæstione LXXIV.

XXXI. Cur vero animalia non sint producta in toto mundo, sed tantum duo individua masculus, et femina sicut homines; plantæ autem per totum orbem sint productæ, respondetur illud de animalibus incertum esse, an in sola una parte terræ sint facta, potius enim oppositum dicendum est, cum multæ species animalium ad diversas regiones spectent, ibique nascantur, non in aliis, sicut elephas, et rhinoceros non nascitur in Hispania, sed in Æthiopia, leo, et tigris non nascitur in Germania et nascitur in India, et sic de diversis avibus, et piscibus, licet in qualibet specie istorum duo tantum esse facta verisimile sit. Plantæ similiter diversarum specierum in diversis regionibus productæ sunt, in quibus tantum nascuntur, ut piper, cinnamomum, zinziber, sandalum, et similia, non sunt producta in Hispania, aut Gallia ubi non fructificant, sed in India, vel insulis, et terris adjacentibus, et idem est e converso de aliis plantis quæ apud nos sunt, non apud alios: unde non sufficiebat ex uno loco deportari ad alium, vel converso tales plantas, quia multæ earum ibi non fructificarent. Debuerunt ergo singulæ in suis regionibus produci, et sic totus mundus plantis est consitus. Animalia vero etsi non producerentur in omni parte, possent eo ire, vel deferri, quia sunt se moventia.

De paradiso terrestri aliqui inquirunt an plantatus sit ista die? Verisimile est quod sic ob rationem supra insinuatam, quia Deus producto homine in sexta die tulit illum, et po-

suit in paradiso, ut dicitur capite II. Exprimatur autem ibi quod: *Plantaverat Dominus paradysum voluptatis a principio in quo posuit hominem quem formaverat*; ergo ante sextum diem plantatus est, nec alio convenientiori quam hac tertia die, in qua protulit terra lignum pomiferum, et sic etiam verificatur quod a principio, et multo ante sextum diem plantatus sit.

## QUÆSTIO LXX.

DE OPERE ORNATUS QUANTUM AD QUARTAM DIEM.

—

## TEXTUS.

*Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, et dividant diem, ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos, ut luceant in firmamento cæli, et illuminent terram. Et factum est ita.*

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

I. In opere quartæ diei incipit opus ornatus, absoluto, et expedito opere distinctionis. Etsicut opus distinctionis incæpit a superioribus corporibus, scilicet a cælestibus, quia prima divisio fuit inter lucem, et tenebras quæ pertinent ad cælos, ita et opus ornatus incæpit a corporibus cælestibus, nempe a luminaribus, cum dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cæli, etc.* Est autem ornatus alicujus corporis proprie id quod ei extrinsecus adhibetur ad compositionem, et apparentiam decentiorem, et non solum ab extrinseco id habet, et ideo ornatus potest moveri in corpore quod ornatur, vel tollendo, vel ponendo, sicut vestimenta in